DE LEGIBVS ORATIO

Philippi Melanch.

DESYDERANT in me pluſculū fortaſſe pudoris aliqui, cum adſiduis declamatiōibus, et infantiam meam uulgo traduco, & humaniſſimis in hac ſchola, patiētiſſimiſq; auditoribus toties odioſe obſtrepo. Ego uero agnoſco mearum uirium imbecillitatem, meoq; me pede metior, & cum de meipſo cenſuram ago, ſentio q̄ non ſatisfaciam politiſſimis quorundā auribus. Verū cum prouehendæ rei literariæ cauſſa hoc quicquid eſt operæ, a me ſumatur, ſtudium meum quæſo boni conſulite. Nam cum pars quædam publici muneris in hac ſchola mihi delegata ſit, parum meminiſſe uiderer, quam ſuſtineam perſonam, niſi de adoleſcentium officio nonnunquam dicerem. Quod cum pro uirili faciā, eaſq; diſciplinas iuuentuti commendem, quibus neglectis, cum religionē, tum res bonas alias labefieri neceſſe eſt, facile, ut ſpero, impetra